





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottf. / diff. de Genuina
vorum Charakter et ypostasi notione,
Lippie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo
vindice dogmaticis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatia.
Lippie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines,
Jena 1707.
6. Müller / phil. / diff. de regno Israelis restauran-
do, Jena 1709.
7. Müller / phil. / diff. de crocodilus lachrimans, Jena 1733.
8. Müller / phil. / diff. de Jesu Christo de andropo, Jena
1704.
9. Müller / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria
mundi, Jena 1661.

m. 27 30.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PROBATIONE SPIRITVVM,

AD 1 IO. IV. 2.

RECENTIORIBVS POTISSIMVM
QVIBVSDAM OPPOSITA

QVAM

PRÆSIDE

GOTTFRIDO OLEARIO

TH. D. ET P. P.

AD D. XXII. SEPTEMB. A. R. S. cō 18c XI

IN AVDITORIO PAVLINO

PVBLICO EXAMINI

SVBIICIET

AVTOR IDEM QVE RESPONDENS

GOTTLIEB IACHMANN

VRATISLAVIENSIS.

LIPSIÆ LITTERIS TITIANIS.



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PROBATIONE SPIRITVVM

RECENTIORVM SOTISSIONVM
AVVSTINVS ONOIA

FRANCOFURTI
GOTTFRIDVS OEFFELIUS

MDCCCLXXXIII

IN VNIUERSITATE





I. N. I.

§. 1.



Vm periculosa & damnabilis sit Præsumtio, velle judicare de Scripturis & Rebus Fidei proprio Spiritu; cumque maxime diabolica illusio & fons omnium Hæresium sit, proprium Spiritum existimare Spiritum DEI; exinde B. Joannes suos, *ut probent Spiritus*, his verbis hortatus: *O Mei, ne credatis omni Spiritui, sed probate eos*: in dubio relinquere non

1 Jo. IV. 1.

Serm. 30. de verb. Ap.

vult, vt cum Augustino quæritare cogantur: *Vnde proba? probare vellem, si errare non possem.* Sed occurrit Expectationi Joannes, iniecit oculum tacitæ cogitationi, dum γνώρισματa veri & falsi Doctoris subiungit, hocque κριτήριον proponit: ἐν τέτω γνώσκετε τὸ πνεῦμα ἑ Θεῶ, πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογῆ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ Θεῶ ἐστὶ: *Hinc cognoscite Spiritum Dei, omni Spiritus, qui fatetur Iesum Christum in carne venisse, ex DEO est.*

§. 2.

Κριτήριον hoc, in probatione Spirituum tenendum, consideraturi, supponere jam possumus, illam debere & posse a nobis institui, tantumque abesse, vt Ecclesia nostra id vnquam vel negauerit, vel fieri prohibuerit, vti Weigelius falso nobis imputauit, propterea à B. Gerharδο merito reprehensus, vt potius Christi & Apostolorum Hortationes ingeminent quotidie Doctores nostri, & in hoc ad Li-

juxta 1 Jo. IV. 1.

1 Theil V. 21.

Matth VII. 15.

D: sp. 7. contra

Weigel. pag.

A

ber-

964. Disp.
Theol. in 4.

bertinissimum propensissimum, nouarumque opinionum feracissimo
sæculo a Probatione Spirituum non ad iudicium priuati Spiritus,
quod extra Scripturam est dubium, fallax & incertum, sed ad iudici-
um Spiritus Dei, abstrahi sese nullo modo patiantur.

§. 3.

Nos igitur operam nostram minime perdituros existimamus,
si quod Verbis paucis complecti voluit Apostolus, paulo vberius ex-
plicemus, & sensum amplissimum eruere exinde allaboremus.

SECTIO I. EXEGETICA.

§. I.

Catech. maj.
pag. 496.

ad Mich. II,

Πᾶν πνεῦμα, quod primo loco in Textu nostro occurrit, Sub-
iectum iudicandum complectitur. Sunt autem, Luthero
consentiente, multiplices in Scriptura Spiritus, veluti huma-
ni, coelestes & mali Spiritus. Imo πνεύματ^ς vocabulo multa
plura notari certum est. Quod si nobis jam esset iurandum in ver-
ba Magistrorum quorundam, πνεῦμα nobis hoc loco tertiam Dei-
tatis personam, quam Spiritum S. scriptura vocat, denotaret. Ca-
nonem enim illi conflarent, spurium sane, ad quem exigere volue-
runt Dicta Scripturæ, in quibus vox πνεύματ^ς occurrit. Vbi,
inquiunt, Spiritus in Sacris Literis nominatur, sine Adiectione, quæ
designet qualis sit, de Spiritu S. debet intelligi. Quamuis etiam
Hieronymus referat hunc Canonem, respuere tamen eundem no-
bis liceat, cum per inductionem Exemplorum falsitas eius abunde
possit demonstrari; quid quod Spectrum Luc. XXIV. 37. in Spiri-
tum S. quod absit, ope Canonis huius transformandum videatur.
Tum vero vocula πᾶν in nostro Textu occurrens, licet non desi-
gnet præcipue, qualis sit Spiritus, qui intelligi hoc loco debeat, re-
vocat tamen nos longissime ab illa sententia, qua per πνεῦμα Spi-
ritum S. tertiam Deitatis Personam hoc loco denotari statuamus.
Vnus enim cum sit Spiritus S. quomodo vniuersalitat^{is} nota ei tri-
bui, & distributive, vti hoc loco sumitur, de supposito vnico possit
enunciari, non video. Accedit, quod vox ὁμολογεῖν, quæ nostro
πνεύμα-

πνεύματι in Textu tribuitur, illud conseruanda Societati vtilissimum, maximeque necessarium Medium, *Sermonem* inuoluat, adeoque sociale πνεῦμα nobis depingere hoc loco videatur. In commate Textum nostrum proxime antecedente, eadem vox πνεύματ⊙ habetur, & ideo non credendum esse παντὶ πνευματι dicitur, quia πολλὰ ψευδοπροφήται in Mundum venerint. Ex qua oppositione manifesta neminem alium quam Doctores, qui se Donis Spiritus præditos, & a principio aliquo (sive bonum sive malum illud sit,) ad hoc vel illud docendum actos & missos asserunt, ex indole sua *spirituali* spectatos, intelligi posse puto. Cum vero Doctor sine Doctrina concipi nequeat, & in scripturis tum ad veram tum ad falsam Doctrinam nomine πνεύματ⊙ respiciatur, concederem facile hoc etiam in loco Doctrinam alicuius Doctoris πνεῦμα posse significare. Imo nec contradicerem B. Sebast. Schmidio asserenti, Spiritus reuelantes & ad docendum Homines impellentes, seu bonos, seu malos, per πνεῦμα hoc loco describi, ita vt juxta Spiritus, qui probandi sunt, Doctores eorumque Doctrinas diiudicare teneamur. Cum enim Doctores a Spiritu bono missi juxta Matth. X. 20. non sint qui loquantur, sed Spiritus Patris qui loquitur in ipsis, & juxta I Cor. II. 9. 10. si prædicant sicut scriptum est, DEVS ea retexisse illis per Spiritum suum dicitur; cum etiam Doctores falsi a Diabolo missi juxta I Tim. IV. 1. desciscentes a Fide, attenti sint spiritibus deceptoribus, & I Reg. XXII. 22. Spiritus Mendacii in ore Prophetarum illorum sit: quidni hoc loco πνεῦμα etiam in Amplitudine aliqua pro Doctore, vna cum Doctrina & principio reuelante vel impellente, cum vnum sine altero esse non possit, acciperemus? Interea tamen tum locis quoad verba & quoad sensum parallelis, tum proposito nostro convenientissimum fuerit, πνεῦμα hoc loco Prophetam vel Doctorem interpretari, reliquis acceptionibus, quæ huc quadrant, non exclusis, sed inclusis.

I. Io. V. 6.
I. Tim. IV. 1.

ad h. l.

I. Io. IV. 15.
V. 1. II. 22.
2. Io. v. 7.

§. 2.

Cum autem non vnus Generis sint Doctores, neque boni existant omnes; verum etiam Pseudopropheta in Mundum venerint, scopusque Apostoli sit hoc loco præmunire suos, ne seducantur;

A 2

exinde

exinde Necessitas poscebat, vt γνωρίσματα veri & falsi Doctoris delinearet, quorum intuitu vel ad sequendum vel ad fugiendum hunc vel illum Doctorem prouidi fideles admonerentur. Dicit itaque Ioannes: πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ κ. τ. λ. quæ verba optime hunc in modum reddemus: *Quicumque Doctōr publice docendo profitetur, inque edenda Doctrina sua Confessione Basiſin atque fundamentum omnium reliquorum dogmatum ponit Iesum Christum, qui in Carne venit, is ratione huius Doctrina ex Deo est.* Cur autem significatum vocis ὁμολογεῖν alias amplio-rem eo vsque hoc loco restringamus, ratio est in promptu. Cum enim Apostolus noster de Doctōribus agat, quos fideles sequi vel fugere debeant, illisque Doctrinam eius recipiendam insinuet, qui ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, facile patet, ὁμολογεῖν hanc non simpliciter Sermonem de aliquare, vti Tit. I. 16. denotare, aut professionem Nominis Iesu ad ipsum vsque Martyrium, vti 1. Tim. VI. 12. sed B. Ioannem Doctorem in Munere docendi constitutum ob oculos nobis sistere, audientesque hortari, vt si illum profiteri, hoc est, docere & tanquam veritatem diuinam asserere & stabilire audiant fundamentum Salutis nostræ Iesum Christum, exinde argumentum capiant, hunc Doctorem quoad Doctrinam suam esse ex Deo, & per consequens illum esse recipiendum, audiendum, eiusque Doctrinam esse seruandam. Quid quod ex officiis, Doctōri in Munere docendi constituto competentibus, idem quod voce ὁμολογεῖν inuolui hoc loco diximus, probare posse videamur. Tum enim non tantum ὁμολογεῖν, hoc est, *diserte proponere*, quæ credenda sunt, oportet, sed veritas dictōrum demonstranda, Errantes in fide informandi, & cum Adversariis vbi res ei fuerit, Doctōr debet esse ἀντεχόμενος τῆ κατὰ τὴν διδαχὴν πρὸς ἄλλους λέγειν, & ita his aliisve modis omnibus debet ὁμολογεῖν hoc est profiteri, proponere aliis credendum, tueri atque defendere Iesum Christum, qui in Carne venit. Sic Ioannes Baptista in munere docendi constitutus profitebatur, id est, docebat & contra ἀντιλέγοντας defendebat, *Fundamentum Salutis esse Iesum Christum*, dum a se hanc prærogatiuam declinabat, & Discipulis suis Christum digitis commonstrabat. Sic dum Act. XXIII. 8. Pha-

Tit. I. 9.

Io. I. 20.

Io. I. 29.

Pharifæis Sadducæi in eo opponuntur, quod hi docuerint, Resurrectionem mortuorum non esse expectandam, neque dari Spiritus separatos; de illis dicitur: *Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα*, id est, profitentur, docent in Scholis suis, & contra Sadducæos propugnant. Adde quod ex opposito veritas dictorum elucescat. Cum enim falsum Doctorem depingere vellet Ioannes, & vi contrariorum dicere, vti in commate Textum nostrum sequente, deberet: *μὴ ὁμολογῶν τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ὡς Θεὸς ὅτι ἔστι*, ille tamen 2. Epistolæ commate 9. id explicat per *μὴ μένειν ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ*. Quæ verba licet ab aliquibus ita accipiantur: *Qui non manet in Doctrina, quam Christus nobis credendam & faciendam proposuit &c.* nihil tamen prohibet, quo minus verba hæc, ductu præsertim commatis 7. præcedentis, de Christo obiectiue assumamus, ita vertendo: *Qui non manet in illa Doctrina de Christo*, seu cuius fundamentum & obiectum primarium est Christus, *ille Deum non habet*. Quid quod 1. Io. II. 22. etiam de falso Doctore dicturus Apostolus loco verborum, *μὴ ὁμολογῶν*, dicat *ὁ ἀρνέμενός*, quod cum de Doctore pronuncietur, negationem simplicem sine vlla ratione addita notare non videtur, potius quod doctrina sua inficietur, id est, rationibus in contrarium adductis neget Iesum esse Christum.

S. 3.

Professionis Materia his verbis comprehenditur: *ὁ ὁμολογῶν τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα*. Cum vero diuersitatem Lectionum heic offendam, eam tribus verbis indicasse sufficiat. Monere quidem ab initio statim poteramus integrum Textum nostrum in Codice Petauiano 3. apud Millium, non haberi; cum vero præiudicio id esse reliquis omnibus Codicibus vix queat, & aperte satis ex oscitantia Scriptoris, propter eadem initialia commatis sequentis, sint ommissa, nihil ea de re superaddimus. Sic & attigisse sufficiat illam Lectionum differentiam, vbi Codex Basil. 2. apud Millium *ἐν* omittit; cum solus ille Codex a recepta Lectione neminem abstrahere valeat. Maioris forsitan Momenti videatur, quod Codex vetustissimus in Bibliotheca Vaticana, tum Codex alius apud Curcellæum, versiones

A 3

item

item vulg. Syr. Arab. Irenæus & Theodoritus pro ἐληλυθότα legant ἐληλυθέναι. At si non significantior, saltim recepta magis Lectio vt seruetur a nobis, liceat.

§. 4.

Lectio, cui insistamus, rite constituta, constructionem verborum horum inter se attendentes proximo loco, Virum Cl. Io. Clericum hunc in Modum construere deprehendimus: *Omnis Spiritus, qui constitetur Iesum, qui in Carne venit, esse Christum, est ex Deo;* citatque eam in rem locum Io. XVII. 3. quem, nisi Clerici versionem legas, Iesum loco subiecti, & Christum loco prædicati habere, difficulter existimes. Ita autem vertit ille: *ut cognoscant Te, qui es solus verus DEVS, & Iesum, qui est Christus, quem misisti,* aut: *& Iesum, quem misisti, qui est Christus.* Et post aliqua: *perinde est ac si in Infinitiuo rem exprimam, hoc modo: ut cognoscant, Te quidem esse solum verum Deum, Iesum vero esse Messiam, quem misisti.* Quæ licet excusari ex parte queant, videtur tamen anguis latere in herba, virumque celeberrimum illud sibi velle, ac si sufficeret credere, Iesum Nazarenum esse Christum seu verum Messiam. Mirum quod non eam in Rem citaverit I. Ioh. V. I. vbi diserte dicitur: *πᾶς ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ἐχριστός ἐκ Θεῶν γεγέννηται.* Sed si vel maxime id fecisset, tamen nondum concederemus sufficere, vt quis credat Iesum Nazarenum esse Christum seu verum Messiam. Quin potius ex locis parallelis Ioannis nostri euinceremus, credendum esse Iesum, qui sit filius DEI vti I. Ioh. IV. 15. non adoptiuus aliquis, sed Deus de Deo, & filius qui ex Patris Essentia ab æterno sit genitus, vti I. Ioh. IV. 9. dicitur, quod Iesus sit *υἱὸς Θεῶν μονογενής.* Simoni Episcopo (qui Leydeckero planam ad Arianismum viam sternere visus est) ex loco I. Ioh. V. I. itidem inferenti, necesse tantum esse credere, Iesum esse Christum seu verum Messiam, respondet B. Ittigius: Iohannem necessitatem fidei in Christum verum Dei filium non excludere. Excipit Episcopus: aliud esse, DEI esse filium, aliud ab æterno generari, nec hoc, sed illud tantum creditu esse necessarium, cum a re ipsa ad Rei modum non valeat consequentia. At respondetur ei, scripturam alium Modum ignorare, quo Christus

ad N. T. Ham-
mondi.

in Diss. de Stat.
Ecl. Afric.

H. E. Sæc. I.
pag. 101.

stus sit filius DEI, quam generationem; Ergo eam non ad rei modum, sed rem ipsam pertinere.

§. 5.

Eo nos deduxerat constructionis ratio. Nos retinentes verba prout jacent, vertimus: *qui confitetur Iesum Christum, qui in Carne venit*: dicimusque, nomen Ἰησοῦ esse nomen *personae*, utramque naturam comprehendens, Χριστῶ, nomen *officii*, ἐν σαρκὶ notare *humanam naturam*, ἐληλυθῆτα diuinam Naturam respicere humana anteriorem atque eandem assumentem.

§. 6.

Iesus, est illa *Persona*, post Mundi Peccatique initia protoplastis Gen. III. 15. tum Patriarchis Gen. XXII. 18. promissa, plurimorumque Desideriis expetita Luc. X. 24. tandem, vbi venit plenum & a DEO præfixum Tempus, in Mundum a Patre missa Gal. IV. 4. ita quidem vt Nomen hoc ejus, antequam nasceretur ex virgine Maria, per Angelum Natiuitatis ejus nuncium, ei imponendum prædiceretur, eo fine, vt illo audito memores essent omnes dicti illius: ἡ σωτηρία ἐν τῶν Ἰσρααίτων ἐστὶ, id est, hic liberabit Populum suum ex peccatis ipsius.

Io. IV. 22.
Matth. I. 21.

§. 7.

Hunc *Iesum*, Nazarenum vulgo dictum, dum cognosci, & pro basi salutis agnosci, atque vt talem a *Spiritu* qui ex Deo sit, professione atque doctrina repræsentari vult Ioannes, præsupponit, τὸν ὁμολογῆντα jamjam Medico quæsito Morbum generis humani non dissimulare, quin potius illum simul profiteri debere, hominem a Dei Manu sanum in Mundum processisse, lethifero vero Peccati veneno Diaboli fraude infectum vires & vitam suam perdidisse, ita vt herbarum nulla, nisi ἀνατολὴ ἐξ ὕλης Medelam huic labi afferre queat. Ac vt clarius, quid velim, exponam: *Iesum* Salvatore credens & profitens πνεῦμα, credat & profiteatur simul necesse habet Articulum de Deo, de Creatione, de Imagine Dei, de Peccato tum actuali tum originis, de Gratia Dei, de Fide, de Beatitudine æterna, &c. & quem primo loco nominare debebam, Articulum de Scriptura S. quia nisi ex illa, hausisse aliunde vel sciuisse de *Iesu* Salvatore nil quicquam potest.

Matth. IX, 12.

§. 8.

§. 8.

Xριστός, quod Nomen Officii esse diximus, unctum notat, probatione huius rei ex profanis scriptoribus vix ac ne vix quidem repetenda, ex stylo vero τῶν ὁ satis prona, qui משיח unctum quemlibet, tum vero Salvatorem nostrum 1 Sam. II. 10. Pf. II. 2. Dan. IX. 25. nomine eodem insignitum Χριστὸν reddiderunt, versione hac in N. T. non improbata, quin potius ab Evangelista Ioanne calculo suo commendata, & a Samaritanis etiam agnita Io. IV. 25. Cum autem ex V. T. desumptum sit Χριστὸν nomen, in inuestigatione significatus illius eo recurrendum est nobis, ubi inter plures umbras Corpus Salvatoris nostri representantes, typos inuenimus Christi, oleo unctos, Reges Israelitarum 1 Sam. X. 1. quam initiandi cerimoniam solis Israelitarum Regibus inter omnes Gentes Deum vindicasse, Io. Henr. Reitzius existimat. Tum ad Goodwin. *summum Sacerdotem ungi DEVS præceperat Ex. XXX. 30. quem proinde, cum Sacerdos unctus in V. T. citatur, iure meritoque intelligi dicimus. Tandem etiam Prophetam unctum videmus 1 Reg. XIX. 16. ut adeo Reges, summos Sacerdotes & Prophetas in populo suo DEVS solenni hac unctioe a communi vsu & consortio aliorum hominum segregauerit, inque vsus sacros & prærogatiuam singularem ordinauerit & sanctificauerit. Typos autem illos omnes fuisse τὰ ἐρχομένα βασιλέως, ἀρχιερέως & ἀρχιποιμένου, alibi fustius demonstratur, tum ex Pf. XLV. 8. elicitur. Unctus ille fuit (verba sunt Goodwini) supra suos confortes extensiuè & intensiuè. Extensiuè, nam etsi Aaron fuerit sacerdos unctus, Saul Rex unctus, Elisa Propheta unctus, Melchisedec & Rex & Sacerdos, Moses Sacerdos & Propheta, David Rex & Propheta; nemo tamen nisi solus Christus Χριστός משיח simul & Rex & Sacerdos & Propheta fuit. Intensiuè: ipse est unctus, nos adpersi; ipse plenus gratia & veritate, nos ex ipsius plenitudine accipimus χάριν ἀντι χάριτος.*

§. 9.

Hæc cum sudes sint in oculis Iudæorum, semper quidem ipsum agnoscentium Iesum, Christum tamen negantium, ita vt conspirauerint in id, si quis profiteretur eum esse Christum, synagogis

gogis suis expellerent proscriberentque: operæ pretium erit, accuratius considerasse & probasse, secundum 3. præcipue officia Iesum nostrum esse Christum.

§. 10.

In Rep. Iudaica olim *Propheta* dicebantur interpretes alterius ad alterum Ex. VII. 1. quod in N. T. explicatur per homines Dei ad Homines Nuncios; non enim voluntate humana allata est aliqua *Propheta* 2 Pet. I. 21. Christum vero nostrum talem fuisse interpretem, iamiam in V. T. Deut. XIX. 18. explicatum fuit, fore eum ob ignorantiam nostram *Prophetam* de salute nos instituentem Cum autem omnis facta de eo *Propheta* fuerit adimpleta, hujus etiam complementum habemus, dum quæcunque Christum dixisse in Evangelistis legimus, eo tendere deprehendimus, vt tanquam *Propheta* magnam viam salutis nobis aperiret, declararetue illam vnice veram ad obtinendam æternam felicitatem, & elabendum e statu peccati; qua de causa victus ac missus dicitur ad euangelizandum pauperibus, vt prædicaret captiuis Remissionem, cæcis visum.

Luc. IV. 18.

§. 11.

Sacerdos quid in V. T. fuerit, in illo antiquissimorum V. T. typorum ac Rituum luculentissimo Commentario, Epistola, puta, ad Hebræos edisseritur: *Omnis Pontifex ex Hominibus assumtus pro Hominibus constituitur in iis, qua apud DEVM agenda sunt, vt offerat Dona & victimas pro Peccatis, hoc est, sit Hominum apud DEVM Patronus, oblatione facta ipsum propitium reddens.* Sic Christus viam salutis non tantum reuelauit, sed & acquisiuit, elaborauit ac operatus est, dum contracta odia, Deum hominesque dissidentes inuicem tenentia, sustulit; pacem & salutem nobis recuperaturus, Animam in Lytrum posuit, sicque vt Sacerdos sacrificium Deo obtulit se ipsum, hostiam hanc hodie adhuc Deo exhibens & pro nobis intercedens.

c. V. 6.

Ec. LIII. 12.
Rom. IX. 34.

§. 12.

Regis cum sit, imperare, leges dare, iudicare, sibi subditos defendere, perdere hostes, Christus quoque in Regno Potentiæ, Gratiæ & Gloriæ subditos habet omnes Creaturas, fideles atque

B

bea-

beatos, juxta Dan. VII. 14. Io. XVII. 2. Matth. XXV. 31. Pf. II. & CX. Sic Χερισός factus est nobis a Deo Patre in *sapientiam*, quia *Propheta* noster est viamque salutis aperuit nobis atque monstravit; in *Iustitiam* & *sanctificationem*, quia vt *sacerdos* noster seipsum immolauit Deo & satisfecit pro nobis, ita vt Iobi XXXIII. 24. dicere possit Redemptor: *Libera hominem, ne descendat in foueam, inueni Redemtionem*, & Rom. IIX. 1. ἔδέν κατάκριμα in nobis esse dicitur; in *Redemtionem*, vt *Rex* nobis factus est, dum potens est e Regno Tenebrarum nos Actu transferre, vt περιποίησιν suam ad hæreditatem filiorum DEI. Eph. I. 14.

§. 13.

Πᾶν πνεῦμα quod ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χερισὸν eo quo diximus modo, *Mediatorem* Deum inter & Homines non poterit non simul profiteri, præcipue cum 1 Tim. II. 5. claris extet verbis: εἰς Θεός, καὶ εἰς Μεσίτης Θεὸς καὶ ἀνθρώπων ἄνθρωπος Ἰησοῦς Χερισός, ita quidem vt tanquam *Propheta* & *Rex*, Dei potissimum nomine (prophetica tamen intercessione, qua Deum pro nobis adeat, non exclusa) nos accedat, vt *sacerdos* autem nostro nomine Deum adeat.

§. 14.

Ἐληλυθῆτα diximus *diuinam* Iesu Christi insinuare Naturam, iamque ordo Tractationis poscit, vt illud paulo vberius explicemus probemusque, præcipue cum commate Textum nostrum proxime præcedente de Pseudopropheta dicatur, ἐξελήλυθασι εἰς τὸν κόσμον, neque tamen proinde illi vel *ex DEO* esse possunt, tantum abest vt naturæ diuinæ participes eos dicere debeamus. Gloriantur ea exceptione Vnitarii, vti dici volunt, in Catechesi Eccl. Polon. vulgo Racoviensi dicta, vbi dicitur, falsos Prophetas vtique non extitisse, antequam nascerentur, aut diuinam naturam habuisse. Legimus etiam in eadem Catechesi sequentem loci nostri Explicationem: *Non scribit Ioannes, Spiritum qui confitetur quod Iesus Christus in Carne venerit, ex DEO esse; Verum quod is Spiritus, qui confitetur Iesum Christum, qui in Carne venit, ex DEO fit; quorum verborum sensus est: cum Spiritum ex DEO esse, qui confitetur Iesum illum, qui in Terris summa cum Infirmitate Carnis*

pag. 127. (Edit. 1684. in 8. Stauropoli.)

pag. 102.

nis versatus est, & mortem ignominiosissimam appetiit, omnique adeo splendore & Potentia humana, quam in suo Messia Iudæi requirerent, caruit, esse Christum Populi Dei promissum illum Regem. Causa enim hic tacite exponitur, ob quam falsi Prophetæ tum temporis Iesum pro Christo agnoscere noluerint. Respondeo ad utrumque; ad posteriorem Explicationem primo, quod Sociniani in Expositione sua vocem σαρκός pro infirmitate Carnis accipientes, significatum vocis præter rem nimis restringant, quod infra patebit, ubi de ea voce agemus. Secundo, quod magna intercedat differentia inter phrasas illas, ubi de Pseudopphetis dicitur, *venisse illos in Mundum*, & ubi de Christo dicitur, *venisse illum in Carne*. Ibi enim ubi de Doctoribus agitur, qui Doctrinas spargere incipiant, sermo est de Qualitate aliqua, *Doctrina*, scilicet, & eatenus seu in illa relatione, quum sese exserere docendo, & Mundo innotescere eo ipso incipiunt, *in Mundum venisse* dicuntur falsi Doctores, in sensu restricto & reduplicatiuo. Quinimo dicerem, Phrasi hac Ioanhem contradistinguere voluisse seductores veris Christi Ministris, qui non per se in Mundum exeunt, sed a Christo mittuntur, & legitimam suam Vocationem habent, qua nituntur; Seductores vero sua sponte vel saltem non vocati a Deo veniunt, quod Scriptura alibi Currere vocat. Alia longe ratio est Phrasis, ubi de Christo dicitur: *venit in Carne*. Hic cum Caro fieret, adeoque in primo ejus Conceptionis Momento dicitur, aliunde *venire*. Absit tamen, ut ex nuda hac Phrasi, *venire in Carne*, diuinam Christi naturam adstruere velimus, cum Natiuitatem per se tantum notet, sicut Gen. XV. 4. & Ioannes noster Phrasi æquipollente, *ὁ λόγος σαρκὲς ἐγένετο*, exprimat, & Christus ipse coniungat, *εἰς τὸ γεγεννημαί, καὶ εἰς τὸ ἐλθῆναι εἰς τὸν κόσμον*. Ex locis igitur parallelis eliciamus, *ἐληλυθέναι*, quoad Sensum hoc tamen loco diuinam Christi naturam designare. Præstantissimum vero se offert testimonium 1. Tim. III. 16. ubi mysterium incarnationis filii Dei sic describitur: *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί*, quod æquipollere Phrasi huius loci, *Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν σαρκί ἐληλυθεν* quilibet, nisi cœcutire velit, videbit. Cauillantur quidem eundem locum Sociniani, & de Deo Patre, uti & clarissimum

Io. I. 14.
Io. XIII. 37.

Catech. p. 100.
101.



pag. 69.

num de Diuinitate Christi locum Act. XX. 28. interpretantur, sine tamen omni ratione, cum contextus vocabulorumque significatus in utroque loco repugnent. Ad 1. Tim. III. 16. responderi potest, quod DEVS Act. XVII. 24. seq. & Rom. I. 19. 20. prout vario modo per Creaturas sese manifestauit in Mundo, describatur, ipsumque verbum *φανερώω* adhibeatur, at vero *ἐν σαρκί* DEVS sese manifestasse nullibi dicitur, vt *σάρξ* Homines denotet. Tum Act. XX. 28. vbi Christum esse Θεόν, qui est subiectum orationis, vel ex eo constat, quod Θεός, de quo sermo est, περιποίησαι dicitur τὴν ἐκκλησίαν ἰδίῳ αἵματι, cum vi foederis eius cum Patre redempti omnes in Scripturis dicantur illius περιποίησις, Sanguinis eius pretio parta. Præterea ex Io. I. 1. coll. 14. & nostro textu sic colligo: Quicumque Caro factus est & in Carne venit, ἐν ἀρχῇ existens καὶ πρὸς Θεὸν ὢν καὶ Θεὸς ὢν, ille cum venit in Carne, non demum incipit esse, sed fuit ab æterno, adeoque diuinæ est Naturæ. Atqui λόγος &c. Ergo. Hinc de eo Ioannes Baptista Io. I. 15. coll. 26. 27. testatur, post se venientem, ante se fuisse. Esseque eum nouimus, qui fuit antequam Abraham fieret, Io. IIX. 58. qui in Cœlis fuit, Io. VI. 62. vnde descendit v. 38. iterum eo adscensurus Eph. IV. 9. 10. imo qui fuit ab initio Creaturarum, creans omnia Io. I. 2. 3. Hebr. I. 1. 2. & cujus exortus inde a principio, a Diebus Sæculi sunt, Mich. V. 1. Ille igitur cum ἐν σαρκί venit, non demum incipit esse, sed est ab æterno, adeoque diuinam habet Naturam. Addo Hebr. X. 5. 6. 7. coll. Pf. XL. 7. 8. de quo loco B Spener. von der ewigen Gottheit Christi / ita scribit:

pag. 419.

Wir haben guten Fug uns auch auff diesen Ort zu beruffen/ daß Christus vor seiner Geburth aus der Hochgebenedeyeten Jungfrau Maria bereits gewesen sey. Indem unser Heyland vorgestellt wird/ der in die Welt kommet/ da er vorhin auff solche Art nicht in der Welt gewesen/ und ihm ein Leib bey solchem Kommen in die Welt zubereitet wird. Daher bey ihm zwo Naturen seyn müssen/ die eine/ die vorher gewesen/ ehe er in die Welt gekommen/ und welche noch keinen Leib gehabt/ die andere aber/ welche aus dem Leibe/ der nicht ohne die Seele bereitet werden sollen/ bestehet. Et paulo post Emphasis vocis

cis ἐρχόμενος, nostro etiam ἐληλυθός applicandam, idem Theologus bene explicat: Es ist auch der Nachdruck des Wortes ἐρχόμενος in Acht zu nehmen / daß der Herr gleichsam actiue, und mit eigenem Willen seinem Vater zu gehorsamen in der Welt sich eingestellet: da hingegen wenn wir die Redensart / in die Welt kommen / auch von andern Menschen gebrauchen wolten / denen es gleichwohl nicht eigentlich zukomme / ist es doch nichts anders / als gleichsam e'n ingressus passiuus, da sie ohn eigen Willen von den Eltern gleichsam in die Welt gestossen werden / und nichts selbst dazu thun können.

§. 15.

Hanc vocis Emphasin tuituri, eiusque originem ostensuri, ad illud Deum Patrem inter & Filium ante omnia sæcula sancitum Foedus deducimur. Cum enim post tristissimum Protoplastorum Lapsum semen Mulieris promittatur, Deusque Mundum sibi reconciliaturus dicatur in Christo; præsupponitur aliqua Deum inter & Christum seu semen Mulieris conuentio, quam clare satis tradidit Zacharias, vbi consilium Pacis inter ambos exposuit. Imo Christus ipse, sapientia hypostatica, innuere id videtur Prov. IIX 23. vbi de se dicit: Ante sæculum inuncta fui, id est, cum omniscius DEVS ante omnia sæcula lapsum hominum præuideret, Amorque plane singularis erga lapsum genus humanum in consilio Pacis cum Patre meo instituto profæri me faceret, Hominibus amissam salutem memet redditurum, acceptauit sponsonem Pater, atque mittere me ad exsequendum illud decreuit, ordinauit atque segregauit. In hebræo autem oleo, actuque vnctionis, separationem ejusmodi designari notum est. Hæsit itaque filio DEI Nomen hoc in scripturis, vt ἐρχόμενος κατ' ἐξοχήν dicatur. Conf. Loca Ps. CXIIX. 26. coll. Matth. XXI. 9. add. Matth. XI. 3. Io. IV. 25. VI. 14. XI. 27. XII. 13. ut Genes. XLIX. 10. & Ps. XL. 8. taceam.

Gen. III. 15.
2. Cor. V. 19.

C. VI. 9. seq.

§. 16.

Postquam venit plenum Tempus, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ id est, vti Christus Io. XVI. 28. effert: ἐξῆλθεν παρὰ τῶν

Gal. IV. 4.

τῆ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, id est, vti in Textu nostro legitur ἐλήλυθα ἐν σαρκί, quod Gal. IV. 4. ita redditur: ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἕκ γυναικὸς: quod ipsum statim Errorem veterum Hæreticorum refutat, Christum secum de cælo attulisse carnem somniantium, contra hunc locum & Hebr. II. 14. Luc. II. 6. 7. Ex dictis vero collatis etiam patet, præter rem restringere Socinianos τὴν σάρκα, pro infirmitatibus humanis hoc loco tantum accipientes, quum pro tota humana Natura sumatur σὰρξ Ef. XL, 6. & sexcentis aliis in locis. De Christo vero itidem eo sensu dici, ex Rom. I. 3. IX. 5. apparebit. Addo sententiam Theologi celeberrimi B. Io. Ben. Carpzovii, junioris, de nostro loco hunc in modum pronunciantis: *indicatur totum incarnationis mysterium, nec solum denotat Actum vnitionis cum Carne, & statum vnionis, qua ipsi tria Idiomatum genera communicata sunt, sed & simul inuoluit Phrasis illa triplex Christi officium & duplicem statum, nempe Exinanitionis & Exaltationis. Adeoque tota de Christo Doctrina hac phrasi: ἐλθὼν ἐν σαρκὶ innuitur.* Cui gemina, quæ B. Spenerus habet: *Es ist hier nicht alleine die Menschwerdung zu verstehen / sondern alles / was er / nachdem er Mensch worden / als ein Versöhner und Heyland der Welt gethan hat (1 Io. IV. 10. 14.) die ganze Verwaltung seines Amtes wird hierunter begriffen.* Hebr. X. 7. 9.

in Expos. 2. Epist. Io. §. 47. pag. 152.

Comment. ad 1. Io. Epist.

§. 17.

Postquam subjectum nostri Textus diu satis nos detinuit, ad Prædicatum eo breuius explicandum progredimur. Quicumque Doctor profitetur Iesum Christum qui in Carne venit, ἕκ Θεῶ ἐστίν. Ex Deo est, non respectu Creationis hoc loco, sed *missionis ad docendum.* Sic de eo, cum prædicat & docet, quæ in verbo DEI continentur, idem quod de Apostolis 1 Cor. II. 9. 10. dici potest, quod DEVS per Spiritum S. in Scripturis quippe loquentem id ei retexterit, adeoque eatenus ipse ex Deo sit; licet quoad Dona sanctificantia ex DEO non sit. Explicanda ex nostro textu eodem sensu putem 1 Io. II. 22. 23. & IV. 15. & forte alia loca, sed cum deductio sit facilis, huic sectioni ulterius non inhærebimus.

SECTIO

SECTIO II.

DOGMA T I C A,

Postquam ita Sensum verborum amplissimum euoluimus, Scopi Apostolici recordamur, cur hæc verba suis proposuerit? scilicet, vt Regulam habeant & Normam, ad quam Fideles, ad quos scribit, omnes, Doctorem eos aduentem atque erudire volentem, velut ad Lydium lapidem, examinare & probare queant. Ex quibus facile patet, Sectionem hanc in duo abire Capita, quorum primo dispiciendum erit, an *omnibus* incumbat Probatio? altero, de Probationis *Regula* agendum.

CAP. I.

§ 1.

O*mnibus* incumbere Probationem, vti modo ex Scopo & verbis Apostoli nostri vidimus, sic sexcentis locis aliis potest 1. Theff. V. 21. equinci. Clarissimum est Pauli Eloquium: Omnia probate, quod bonum est, retinete. Vt vero de probatione ipsorum Doctorum Evangelium annunciantium, sermonem esse constet, age locum 1. Cor. X. 15. perpendamus, vbi Paulus ipse, qui verbum suum Miraculis satis confirmare poterat, nihilominus se iudicio & probationi fidelium suorum submittit, præcipiendo illis, vt de prædicatione sua verbi iudicent: iudicate vos quod aio. Adde quod C. I. 8. 9. Doctores aliud Evangelium prædicantes, a Fidelibus damnari debere pronunciet, sicque non tantum sine probatione Doctores non esse recipiendos innuat, sed ipsos Fideles de illis iudicium ferre posse, clarissime supponat.

§ 2.

Quæ vero illa Probatio, seu, quod idem hoc loco valet, Examen, quod omnibus incumbere necessitate Mandati vidimus? vt paucissimis includam, dico: Probatio siue Examen est Dogmatum quorumcunque cum Verbo Dei collatio, vi cuius vltima Fidei *ἀνάλυσις* fit in Deum, ita vt me fide diuina credere, quæ credo, certus esse possim.

§ 3.

§. 3.

Vtut vero ex Mandato Dei, locis §. 1. allegatis comprehenso, satis euidenter sequatur, non tantum possibilem esse illam Probationem *Omnibus*, cum Deus impossibilia non precipiat, sed & necessariam eandem omnibus esse, cum alias restringere subiectum DEVS facile potuisset: nihilo minus tamen cum Hypothesibus Rom. Ecclesiae periculosa nimis videatur, Asecliarum huius Ecclesiae id fuit studium, vt, cum corruptiones Ecclesiae suae facile ex Scripturis detegi posse deprehenderent, Probationem non esse omnium assererent, sicque Scripturam §. c Manibus plurimorum extorquerent.

§. 4.

Preiuges legitimes.
Les pretendus Reformez convaincus de Schisme.

Animus nobis est ex recentissimis celebrem Iansenistarum *Nicolium*, Auctoritatis Romanae Curiae stronuum propugnatoem, seligere, eiusque obiectiones potiores ex duobus libris eius, *Praeiuiciis* nempe *legitimis contra Calvinistas*, & *de Schismate Reformatorum* depromere ac refutare. Ne vero prolixus sim, statim obseruo, eius argumentum praecipuum huc redire, vt impossibilem & inutilem demonstrat Probationem. Dicit infallibilem debere esse quemlibet Fidelem, si examinare & probare Dogmata teneretur, suaeque Probationi certitudinem Fidei adscribere velit. An vero hoc non sit contra sanam rationem asserere alii iudicauerint? Concedimus *omnes*, non esse infallibilem Mentem humanam, interim tamen, nisi qui cum Nicolio Scepticismum inuehere voluerunt, veritatem nihilominus inueniri & diiudicari posse, negauit nemo. Fac enim specie falli Homines, & veritatem sese tenere putare, cum vmbra teneant; an vero illud omnem certitudinem nobis admet? annon characteres veritatis integri, & Fides vera a falsa pertuasionem dignoscibilis, manebunt? Viderit Nicolius an secundum hoc principium suum respondere possit *Iurio*, Iansenistarum Defensionis. soliditatem exinde sollicitanti. Vt vero pateat, Nicolium vel Mentem nostram non recte percepisse, vel iniuriam nobis fecisse, id tantum addo: Nos quemlibet probantem, certitudinem reportare, non asserere; sed cum dispositio.

ver. Syft. Eccl.
L. 2. c. 6. p.
278.

tiones aliquas in eo præquiramus, non quidem infallibilitatem, sed bonam Mentem, docilem & a præiudiciis liberam, horum respectu dicimus Probatione rite instituta certum aliquem esse posse, se non errasse, non vero, errare eum non potuisse.

S. 5.

Diximus nos aliqua in Probaturo Fideli præquirere, en! præquirat Nicolius etiam & non aliqua tantum, sed multa, sed eo animo, vt in rem suam eam requisitorum multitudinem vertat, & ex eorum multitudine ac difficultate concludat, Probationem non competere *omnibus*. Dicit in *præf. ad præiudicia legit.* antequam probare quis possit, tenebras & præiudicia Mentis removeri debere: negotiis mundanis constrictum. probare non posse: subsidia adesse debere necessaria: legere, & alias præter vernaculam Linguas callere debere Probaturum: Quæ omnia cum in dimidiam Christianorum partem non quadrent, potius ignarissimi plurimi, Mentisque illorum angustis terminis contineantur, ita vt ne quidem faciliores res comprehendant, exinde Nicolius plurimos probationem instituere non posse, euincere conatur. Liceat vero illum primo loco interrogare, anne Israelitarum omnes omnino conditiones, quas ille requirit, habuisse, asserere velit? Non, puto, asseret. Attamen diserte legimus, Deum Scripturas S. in manus omnium fidelium tradidisse, & vt legant præcepisse, & quod inde consequitur, Doctrinas examinari voluisse. Vt vero moneam ad Nicolii Conditiones, quod primo loco monendum videbatur, dico Nicolium fidem in Homine suo excitare velle viribus humanis, Spiritui S. nihil tribuere. Cum vero gratia heic multum faciat & Spiritus idem sit, quo Pastores & Laici, Docti & simplices, tanquam Oleo sancto vnguntur, exinde hoc supposito multum decedet Argumento Nicolii. Si enim Spiritus S. semper cum Scriptura efficaciter in Subiecto non malitiose renitente operatur, inde simpliciores etiam verum a falso discernere, & puros a Seductione seruari posse patet. Sed ut tandem dicam quod res est, Nicolius disputat contra nos in re, quam nunquam negauimus. Mens enim eius est, Examen discussionis esse admodum difficile. Id vero omnes confitemur, sed vero illud

pag. 10. II. edit. Bruxel. 1683. in 12.

Deut. IV. V. VI.

conf. r. Io. II, 26. 27. & Basnage des Pref. faux & legit. p. 502. 503.

C

omni-

omnibus competere in Probatione, de qua agimus, negamus. Distinguiamus igitur inter Examen *Discussionis*, cum confertur principium cum conclusione, cum rationum pondera examinantur, & nouæ conclusiones formantur, & inter Examen *Attentionis*, quam homo adfert legendo Scripturam S. Illud Doctioribus, hoc simplicioribus; vtrisque tamen Probationem tribuimus, cum illud Examen Attentionis sufficiat ad veritatem ab Errore dignoscendam, & certitudinem fidei generandam, præcipue cum DEVS docilem Mentem, vt illa est, quæ Attentionem debitam adhibet, non respuat, quin vero per virtutem diuinam, cum verbo semper coniunctam, de veritate conuincat.

Io. VII. 17.

§. 6.

Ex his dictis eam tandem Conclusionem formamus: Probationem Spirituum *πρώτως*, & quoad Examen Discussionis plenioris, debere quidem ordini Ecclesiastico, vtpote dono interpretationis & promissione speciali *Διευκρίσεως* Spirituum instructo; interim tamen hoc non impedire, quominus etiam Laici & Fideles omnes Probationem instituere debeant & possint, cum quisque Fide sua viuere debeat, & Scriptura S. Fidelibus omnibus ius examinandi tradat, immo eos ad id faciendum vehementer obstringat.

C A P. II.

§. 1.

Cum omnibus incumbat Probatio Spirituum, oportet eos habere Normam ac *Regulam*, ad quam Probationem instituere valeant, & ea ipsa est, quam in hoc Capite considerandam nobis sumimus.

§. 2.

Ex occasione Textus nostri, dum B. Ioannes suis Fidelibus dicit: in hoc cognoscite; & Eloquium suum addit: *Omnis Spiritus*, &c. eo ipso manu quasi ducimur, vt paulo distinctius Enumerationem Regularum Probationis repetamus. Inter omnes igitur constare debet, quod DEVS sit fundamentum omnis certitudinis & Auctoritatis. Prouidentia vero diuinæ, vt Homines certos redderet, hanc vel illam veritatem esse a DEO reuelatam, tribus

conf. Iurieu
Vero Ecclesiæ
Syft. L. 2 c. 19.
p. 381.

bus potissimum viis uti placuit. Prima est via Auctoritatis infallibilis, quæ *θεωρητικῶς* in Terris his agenti, & Apostolis eius *θεωρητικῶς* extraordinario instructis, conuenit. Inde est quod B. Ioannes in Textu nostro Regulam aliquam proponens, sine ulteriori probatione addita dicat: Hinc cognoscite Spiritum DEI: cum propter *θεωρητικῶς* satis a Fidelibus aliàs cognitam, certitudinem in iisdem producere posse, nude etiam prolata verba, iam iam præuideret. Secunda via est, quam Examen Attentionis vel Applicationis Veritatis ad intellectum non immerito cum quibusdam appelles. Tertia denique est Examen Discussionis, quod veritatem aliquam ab omni parte intuetur, rationesque illam stabilientes & difficultates eam confodientes pensitat atque rimatur. Prima viarum istarum extraordinaria est, reliquæ duæ ordinariae, quæ cum differre tantum gradu videantur, sub nomine *Examinis* venire possunt ambæ.

§. 3.

An igitur felicibus adeo nobis esse licet, ut in Re tanti Momenti sine offendiculo vlllo progredi valeamus? Minime vero. Per vepreta potius, alia nobis via, in qua Sisyphæum saxum volvendum offendimus, ostenditur a Romanæ Ecclesiæ Mancipiis, dum via Examinis repudiata viam Auctoritatis iactant facilem, breuem & ad plenariæ Certitudinis Arcem infirmiores quoslibet ducentem.

§. 4.

Quem superiori Capite citavi aliquoties, non possum quin heic iterum reuocem Nicolium, cum nulli forsitan inquilinorum suorum maiora debeat, quam isti Rom. Ecclesia. Splendidus enim de Auctoritate Ecclesiæ huius, & liberius, leuius, magisue blasphemie de Scriptura S. Nicolio vix locutus est vllus. En! verba eius: Cum via difficilior, periculosior & minus accommodata ^{præf. ad præf. pag. 13. 14.} omnium Mentibus, vix detur, quam Examen illud, hinc in locum viae Rationis succedit via Auctoritatis. Nam quilibet, qui veritatem nosse tenetur, si ipse non potest apprehendere illam, aliterius Ductui sese committat, necesse est. Optime heic agit, qui ei cuius est maxima inter omnes Auctoritas, & nota Spiritus S.

“singularis Assistentia sese committit. In hac via nihil nisi sapi-
 “ens, prudens & rationi consentaneum. Simplicissimus hac via
 “potest incedere, quia plurimorum Dogmatum captum ipsius
 “transcendentium Examine opus non habet: Sapientissimus hac
 “via incedere potest, quia non nisi Auctoritati fide dignissima
 “probataeque veritatis subiicere sese tenetur. Hanc in orbe qua-
 “rens Auctoritatem, inuenit statim in Ecclesia Rom. quia & hæ-
 “retici oppugnantes eam, Auctoritatem illius in Dubium vocare
 “non possunt. Est illa amplissima & Ecclesiarum celeberrima;
 “certiore igitur gradu in fide sua progressurus, eam via Ducem
 “sequatur, maiorem inde certitudinem reportaturus, quam si de-
 “bilibus Rationis viribus eo velit anniti &c. & c. 14. præi. addit,
 “(si repetere impia verba licet) viam Examinis per Scripturam
 “esse infinitam, ridiculam & impossibilem.

§. 5.

Paion Exam.
 des prei. P.
 179.

Vtinam per Rationem, a qua nos abducit, speculationes phi-
 losophicas; & per Auctoritatem, ad quam nos remittit, scripturæ
 Auctoritatem intellexisset Nicolius! Sanum ejus esset Argumen-
 tum & utroque brachio a nobis amplectendum. Cum vero per
 rationem applicationem normæ scripturarum ad res normandas,
 & per auctoritatem, Romanæ Ecclesiæ intelligat Auctoritatem,
 conclusio longe aliter erat formanda, si nexus debeat esse firmus.
 Conclusio scilicet, quæ ex Nicolii præmissis naturali nexu se-
 quitur, ita ex iis procedet: Examen secundum scripturas impossi-
 bile est & ridiculum, ergo in tota Religione nihil datur certi atque
 explorati. Lepidus quoque in eo est Nicolius, quod sententiam
 nostram, quam falsam nondum novimus, abiicere, & Ecclesiæ
 Rom. placita, quæ vera nondum vidimus, profiteri & recipere de-
 beamus. Quæ nobis inde certitudo?

§. 6.

Hæc Regula per viam Auctoritatis, quomodo in Probatione
 Spirituum nos juuet, certosque reddat de veritate, jam erit paulo
 vberius dispiciendum. Cum vero breuissima ex mente Pontifi-
 ciorum via sit, & captui omnium accommodata, en! quam succin-
 cte probationem Spirituum nobis proponat: *Quicumque Spiritus*
est

est ab Ecclesia missus, ille est recipiendus; Quicumque Spiritus docet ea, quae Ecclesia docet, ille verum dicit. At audiamus ipsum Nicolium arma contra hæc nobis suppeditantem. Non sufficit dicere, ait, certissime persuasus sum, me veritatem a Partibus meis stantem habere; oportet examinare fundamenta certitudinis huius atque tranquillitatis, ne certitudinem putemus, quæ sit opinio. Et alibi de Examine secundum scripturas, quod nos defendimus, C. 14. p. 32. dicit: Specie magis quam pondere verba Reformatorum superbiunt, cum viam hanc dicunt esse Examen Articulorum fidei secundum scripturas, tanquam vnicam nobis a Deo præscriptam Regulam: ante omnia dispiciendum monet non sine accuratio- ne, sitne hæc via expedita adeo & plana, uti a nobis describitur, an potius impedita & Longitudinis eius, ut illam emetiri, metamque exoptatam assequi non valeas, omnibus licet viribus eo annitatis: attendendum item an omnibus accommodata; Cum primo loco de eo quærere debuisset, an a DEO ad salutem nobis sit proposita? Priorem locum adduxi, ut ex ipsius verbis euincam, velit nolit, viam Auctoritatis in viam Examinis esse transformandam. Alterum vero, ut paulo post videat Nicolius, quam belle sibi ipsi sententiam dixerit.

S. 7.

Duo igitur sunt principia iactatæ illius autoritatis viæ, quæ in inuia tesqua illam vertunt, planeque impeditam, exitu destitutam, & impossibilem, sanæ rationi & pietati contrariam eam esse arguunt. Primum enim de *Missione ab Ecclesia* facta, quod attinet, plurima sane sunt, quæ simplicissimus quilibet, antequam Regulam hanc assumere potest, nosse tenetur. Primo quæ Ecclesia sit, nouerit oportet, an solus Papa ut Papa, an Papa cum Cardinalibus, &c. An Ecclesia vni coetui sit alligata, an visibilis semper? An successio sit de ratione fidei? An Ecclesia Latina sit vera Ecclesia? quibus argumentis hoc probetur? an forte ex scripturis? Cum vero via Examinis ex hypothesis Nicolii sit immensa & in vni- co loco vel ultra annum hærendum, Canonicos Libros diiudicando, varias Lectiones & Textum authenticum consulendo, loca parallela & opposita conferendo, interpretes omnium sectarum

euoluendo; in nihilum abibit Regula Nicolii, puroque & puro scepticismo nos relinquet, vt taceam quod Nicolius sic Principium & Regulam suam deserat, circumque committat, scripturas ex Auctoritate & hanc ex illis probando. Inde satis jam constare arbitror, viam Auctoritatis facilem adeo & perbreuem non esse, sed impeditam in ipso Limine, adeoque specie magis, quam pondere. Pontificiorum verba superbire, dum viam Auctoritatis adeo extollunt & vnicam a Deo nobis datam Regulam esse prætendunt.

§. 8.

Quid si vero plane negemus, *Missionem* illam loco Regulæ fidei posse assumi, cum veritas semper maneat eadem, id est digna quæ audiatur, & Auctoritate sua pollens. Quid igitur ad Populum, quo ex loco Pastor illius fuerit missus, modo populus ea gaudet certitudine, Pastorem docere veritatem. Nos non concludimus: vocatio Pastorum nostrorum est legitima, ergo nos veritatem docent: sed ita inferimus: Nostra Doctrina est vera, ergo audienda illique obtemperandum. Audire vellem responsum Nicolii ad Quæstionem Paionii: Si cœtus esset, in quo vocatio Ministrorum per successionem ab Apostolis sit rite continuata, sed veritas perditæ: & cœtus alius, in quo successio demonstrari nequeat, sed doceat verbum DEI pure: Cui Nicolius se associare vellet: num priori, credens vocationem sine veritate illum saluataram, aut potius posteriori, veritatem sine vocatione, saluare credens?

Paion. Exam.
P. III. p. 151.

§. 9.

Neque tamen est cur desperemus, successionem Ministrorum nostrorum ab Apostolis, posse demonstrari. Cum enim *vera Ecclesia* sit depositaria Auctoritatis Ministerialis, illique competat communicare eam Ministris; jam vero nostra sit vera Ecclesia, cum Doctrinam, instituta & regulas Iesu Christi seruet, adeoque eadem cum illa Ecclesia sit, cuius Nomine Apostoli vocantur Ministros; exinde patet, cum hodie vocat vera Ecclesia, idem esse ac si vocauerit tempore Apostolorum; cum eadem Ecclesia, vocatio sit eadem, vnde consequens est successionem nos habere in ministris nostris ab Ecclesia vocatis inde ab ipsis Apostolis.

§. 10.

Sed aurem vellicat alterum viæ Auctoritatis Principium: *verum esse quod Ecclesia dicit.* Et heic Pontificii nescio quam sibi certitudinem & facilitatem fingunt, cum tamen difficultas omnium maxima heic resideat. Nisi enim Stipites esse velimus, oportet nos scire, quæ Ecclesia sit, quæ hoc vel illud dicat, priusquam credere & certi esse possimus de eo quod dicit. Sane res per se evidens non est, quænam illa Ecclesia sit, cui hæc autoritas competat, tantumque abest, vt inter Pontificios ipsos conuenerit ea de re, vt alii Papam in concilio præsentem, alii concilium præsentem Papa, alii concilium sine Papa, alii concilium vniuersalissimum, alii vniuersale, eam autoritatem obtinere voluerint. Sed fac quærenti Laico innotescere, Papam in concilio esse Ecclesiam dicentem; an propterea certus esse potest, verum esse quæ Ecclesia dicit? Minime vero. Oportet nouerit, Ecclesiam illam esse *infallibilem.* Cum vero, Arnaldo fatente, infallibilitas Ecclesiæ non competat ap. Paion. P. II. ex Natura sua, sed sit Donum DEI gratuitum & priuilegium speciale, probari ante omnia debet, Latinæ Ecclesiæ illud datum esse. c. 8. P. 310. Quo facto videndum, quibus Conditionibus præsuppositis debeat Spiritu S. & infallibilitate gaudere illa Ecclesia. Duvallius docet, Papam non iudicare posse nisi a præstantissimis viris ea in re instruat^r antea, & Papam, si solus definire quid audeat, immediatum Reuelationem prætendens, hæresi Nouatorum quorundam (Enthusiastarum) accessurum. Alii iudicare posse & infallibilem esse, si vel maxime secundum nullam regulam agat, asserunt. Alii ne concilium quidem infallibile putant, nisi certam regulam, vi cuius Spiritus S. illi assistat, adhibeant. Affirment vel negent, perinde est, conditionibus certis alligatam esse infallibilitatem, vtrobique constricti tenentur Pontificii. Nam Mediis sublatis, admittenda esset immediata Spiritus S. inspiratio, quod in Concilio non fieri, patet ex eo, quod vota sententiæque non conspirent inter se. Nec Pontificiorum aliqui dixerint, reuelationes nouas Papæ aut Concilio obtingere, ergo sequitur exinde, quod quæ vel Papa vel Concilium dicit, cum verbo DEI consentiant, vel minus, Si consentiunt, illis decretis opus non est, cum verbum DEI iam iam id doceat; si non

ib. p. 311,

non consentiunt, recipere pro regula fidei non possum, antequam diuinitas eius mihi fuerit demonstrata. Si Media & Conditions Papæ & concilio observanda admittunt, antequam credere possim hoc vel illud Ecclesiam dicere & infallibiliter verum esse, viam mihi ostendant necesse est, quæ certum me reddat, cum hoc vel illud decretum fuit, conditiones illas & Media adhibita legitime fuisse. En! quo nostrum Probatores via illa brevissima iamiam deduxerit, scilicet vt nosse queat, Ecclesiam hoc vel illud dixisse, ingentia conciliorum volumina perlegere tenetur, neque tamen peruolutis illis, fide diuina credere potest, hoc vel illud verum esse, cum Principium ipsum, Auctoritatem Ecclesiæ, fide diuina hucusque credere nondum possit. Quomodo igitur probabitur Auctoritas Ecclesiæ, vt fides diuina in nobis excitetur? triplicem in modum id potissimum fieri debere videtur: *primo* ex reuelatione Christi & Apostolorum: sed ea est via probandi infinita, secundum Nicolium, ridicula & impossibilis, & quam si fueris ingressus, vel annum integrum vnica probationi impendere necesse habeas, cum distinguendi prius sint Libri canonici ab Apocryphis, Textus originalis consulendus, variæ Lectiones rimandæ, loca parallela euoluenda, opposita conferenda & omnes omnium hæresium Commentatores legendi, & vbi probatio elapsa fuerit animo, filum Probationis de nouo ducendum, adeoque ea Methodo Auctoritatem Ecclesiæ ex hypothefibus ipsorum aduersariorum probare poterit nemo. *Vel deinde* probari debere videtur Auctoritas Ecclesiæ ex reuelatione peculiari, quam cum post Christi & Apostolorum tempora illi obtigisse, nesciamus, hinc probationi huic nullus est Locus. *Vel tandem* probari debet ex Characteribus Diuinitatis Ecclesiæ v. g. Latinæ propriis, perinde vti Libros Scripturæ S. impressi illis characteres, diuinos probant. Characteres vero illi proprii esse debent, hoc est tales, qui coetibus schismaticis & falsa docentibus non etiam competant, quales plerosque esse ex iactatis Ecclesiæ Romanæ characteribus iam pridem est euictum; quemadmodum non minus constat alios quosdam characteres, qui pro veris & propriis haberi queant, falso illi tribui, v. g. catholicismum. Sed restat adhuc alia via, qua Auctoritas & infallibilitas Ecclesiæ potest adstrui, scilicet per

Tra-

Traditiones. Cum vero non genuinæ omnes sint, selectus apocrypharum agenuinis primo est instituendus: videndum deinde an Romanæ Ecclesiæ Auctoritas in illis stabiliatur: porro in illam viam non omnes tantum cadunt difficultates, quibus impeditur viam examinis secundum scripturas iactitant, sed longe etiam plures: Nam & hic examinanda monumenta, quæ traditiones nobis exhibent, numero infinita: genuina a supposititiis discernenda & interpolatis vel corruptis; an Locus hic vel ille diuersimode legatur, dispiciendum, cum nervo probandi ex lectionis diuersitate decedere valeat multum: originalia consulenda: loca controuersa accurate examinanda, ne specie rationum fallamur: attendenda loca parallela & contraria, an illa forsitan sensum mutare possint: Explicationes illorum Locorum diuersæ consulendæ, & quisnam genuinum assecutus fuerit sensum, dispiciendum, Rationum pondera, quæ a Coetibus a Rom. Ecclesiâ dissidentibus afferuntur, penitanda; tandem diffidere te oportet oculis tuis & memoriæ, & nisi rationes habeas in enumerato, Examen quotidie denuo per-textendum. Sicque post Conciliorum volumina Patrum Collectiones omnes perlegendas habuit Probator noster, neque tamen adhuc Ecclesiâ quæ sit, aut infallibilitas, quam ei aliqui tribuunt, inuenit forsitan. Sed fac eum vtrumque reperisse, an propterea certus erit, se Ecclesiæ illius infallibilis Doctrinam legere, quum Decreta v. g. Conciliorum legit aut sententias Patrum? Tantum abest, vt certus esse possit, vt potius Examen ingens adhuc sit suscipiendum, legitimaque Concilia, vt illis imprimis insistam, a spuris distinguenda. Requiritur autem inter alia vulgò ad legitimum Concilium, vt ex multis, quæ moneri possent, pauca delibem, vt libere quilibet sententiam suam ferre potuerit, deinde vt rerum decidendarum exactissimum fuerit institutum Examen: ad prius requiritur accuratissima Historiarum Cognitio: alterum iuxta cum historiarum Cognitione, vt Patrum scripta & Tomos Conciliorum perlegas, requirit. Fac offerat se scrupulus in lectione Canonis alicuius, Ergone Pastores, Episcopi, ArchiEpiscopi, Cardinales vel Papa adeundi? Bene heic Paionus, qui cum Nicolius Epistola 10. de hæresi imagin. dixisset: *Iesuita non sunt Ecclesia:*

P. 2. Exam.
P. 213.

D

fia:



ſia: inſiſtitio non eſt Eccleſia: inferreſpergit, Papa non eſt Eccleſia, quindecim Cardinales non ſunt Eccleſia, triginta Epifcopi non ſunt Eccleſia, quinquaginta Doctores non ſunt Eccleſia, centum Paſtores non ſunt Eccleſia. Hos ergo omnes pone conſuli de dubio aliquo canone, vel ſic tamen nondum poteris ab iis certior reddi Te Doctrinam Eccleſiæ tenere. En igitur principiis Nicolii ad ſceptiſmum perductum Veritatis indagatorem.

§. II.

Quis impoſſibilem non videt hanc eſſe viam? ſed quis eandem non rectæ rationi aduerſam, imo contra Pietatem, iudicet, cum norma a Deo propoſita neglecta, ad aliam incertam & plane fallacem declinet? Taceo, Adorationis eſſe Speciem, cœcam illam obedientiam, cum Homini dicenti ſine rationibus additis, præfertim in Rebus fidei credam; Quis ferat illud Theologorum Louaniensium obſequium, qui, vbi ſolertiſſime examinatis atque damnatis propoſitionibus quibusdam de earum pravitate ſe eſſe conuictos hoc ipſo teſtati fuiſſent, addunt, *ſe ab hac fide non reſſuros, donec per ſummum Pontificem aliud deſiniatur, h. e. donec contra Mentis ſuæ conuictionem, vt aliter credant, Pontificis autoritate adigantur.*

§. 12.

Nos igitur meliori iure quam Nicolius in præf. Præi. inferre poſſumus: *Excluſa via altera, ad alteram recipendam deducimur: Cum non tantum ratio id nobis ſuadeat, ſed & clariffima DEI Verba viam Examiniſ ſecundum Scripturas ſerio inculcent. Sed videamus, quomodo viam hanc difficilem eſſe, impeditam, & impoſſibilem oſtendat Nicolius. Is poſtquam retuliſſet ex noſtra ſententia, Fidem non addiſcendam eſſe per vocem Eccleſiæ neque per Auctoritatem Traditionum, (id quod ambiguum valde eſt, nam ſi Nicolius per vocem Eccleſiæ prædicationem verbi intelligat, nos eam recipere nolle dicens, egregie fallitur) Viam examiniſ, quam elegimus, ſequentes includere maximas exiſtimat.*

1. Eccleſia non eſt inſallibilis in deciſione rerum ad fidem pertinentium. 2. Traditiones inter Fidei Regulas locum habere non poſſunt. 3. Scriptura continentur omnes Articuli Fidei,

&

Claude T. I. p. 179. Def. de la Ref.

Baſnage des Prei. faux & legit. p. 419.

P. II. Exam. p. 248.

Ec. IIX. 20. Pf. XIX. 5. Gal. VI. 16. 2. Petr. I. 19. Matth. IV. 4. 7. XXII. 29. Prei. legit. 14. p. 233.

& qui non continentur, non sunt de fide. 4. Scripturæ ea omnia
 clare proponunt, ita vt ab omnibus queat intelligi. Ab his ma-
 ximis certitudinem viæ nostræ dependere dicit Nicolius, per se
 non claris, probandis ergo Auctoritate diuina. Cumque nos eas
 scripturarum probemus testimonio, illi probationi sequentes op-
 ponit difficultates. 1. Duci illa argumenta a nobis ex libris scri-
 pturæ Canonicis, vbi non sine difficultate dispici debeat 1. an li-
 ber, ex quo quodvis argumentum ducatur, sit vere Canonicus?
 Id quod nobis innotescat vel Auctoritate Ecclesiæ vel testimo-
 nio interno Spiritus S. quam vt quis Cognitionem acquirat, legi
 necesse esse Libros biblicos omnes, & attendi, in quorum Lectio-
 ne Sensu interiore legens fuerit commotus. 2. an Textus, qui ci-
 tatur, cum authentico conueniat? 3. annon diuersitas Lectionis
 sensum mutare queat. 4. Loca parallela consulenda esse & con-
 traria, vt videamus, annon ex horum collatione probationis sen-
 sus mutetur. 5. Cum sibi soli fidere quis nequeat, Commenta-
 rios euoluendos esse omnes, vt ex Collatione horum, quisnam
 genuinum Loci sensum affecutus fuerit, elucescat. Hoc facto ad-
 huc tamen in Limine subsisti, nam Scripturas per partes & quidem
 iuxta recensitos gradus esse examinandas. Sic vitam prius quam
 Examen finem habituram, maxime cum quotiescunque probatio
 aliqua Menti exciderit, denuo illud veniat inchoandum.

§. 13.

Per instantiam quidem respondere possemus, an scilicet via
 Auctoritatis Nicolii, ad Examen tandem reducenda, difficultates
 illas imminuere valeat, quod ex dictis §. 10. vix apparet; directa
 vero acie potius pugnaturi cæde vna vel altera hostem proster-
 nere studebimus. Quod priores igitur duas maximas attinet,
 quas nobis tribuit aduersarius de Ecclesiæ infallibilitate & tradi-
 tionum auctoritate, quilibet Logicæ Artis paululum peritior, illas
 non a nobis probari debere indicabit. Cum enim negantes nos
 hic simus, affirmantibus probatio incumbet. Tertia firmatur ex
 fine & vsu Scripturarum, qui est σοφίας ἡμᾶς εἰς σωτηρίαν, &
 claris ipsius Scripturæ testimoniis. Quartam quod attinet, Clau-
 dius eam ita formatam agnoscere non vult pro Protestantium sen-
 tentia

tentia, sed ita corrigit: Quod Scriptura S. de Fide & Moribus plane & ita clare continet, vt ab omnibus queat intelligi, id fufficit ad Salutem: quod ex eo probatur, quia DEVS simpliciffimos perinde ac Doctiffimos ad salutem vocauit, inaccessibilem illis viam facere non potuit, nec plura ab iis requirere, quam vires eorum ferre valent. Difficultates vero omnes, nobis Maximas illas probaturis oppositas, vno ictu soluere possumus, Examen Probationis distinguendo, vti supra fecimus, in Examen *Discussionis & Attentionis*. Posterior plurimis, simplicioribusque tribuentes, fidem simplicis Sufficientiæ ad salutem, debitamque in iis certitudinem producere, Gratia Spiritus S. cooperante, asserimus, sicque experientia & efficaciam Spiritus S. contradicere Nicolium, si difficultates vrgere amplius velit, existimamus.

Sect. II. c. I.
§. 5.

§. 14.

Sed ecce! dum Nicolius ipsum examen & probationem Spirituum fidelibus dissuadet, ad Ecclesiæ autoritatem eos ablegans, normam examinis mirum in modum peruertit & detorquet; aliunde nobis aduectus aduersarius, qui ad examen spirituum satis esse existimat, si doctrina & fides eorum ad vnicum huncce reuocetur articulum, quod *Iesus sit Christus*. Vt adeo qui articulum huncce tenuerit Spiritus, prout heic iacet, sine explicatione vltiore quacunque, ex Deo esse, hoc est in communionem Christianorum sacrorum recipiendus esse, censendus sit. Est ille *Io. Lockius*, vir ingenii maximi, qui systematicorum Libellorum tædio ductus, Theologiam suam ex sola scriptura in nuce propositurus librum de *Rationalitate Christianismi* edidit, inque eo plus simplici vice asseruit, vnicam solamque illam Propositionem, quod Iesus sit Christus, seu quod Messias, creditu ad salutem & iustificationem nostram esse necessariam, nobisque vt talem in S. literis proponi. Claris ille verbis pag. 58. T. I. Ration. Chr. asseruit: *nos sub Euangelio vt obtineamus vitam æternam nil credere amplius necesse habere, quam solam illam propositionem: Iesum esse Messiam, ita vt necesse non sit quicquam præterea adungere velle.* Quæ cum intollerabilis plane sit sententia, accusatus propterea ab aliquibus, ipse defendere non audet, sed eo delabitur in vindiciis suis vir ingeniosissimus,

Edit. Gallic.
Amst. 1696.

mus, vt vel centum vicibus aſſerat, ſe tantum dixiſſe, illi, qui Chriſtianus fieri velit, ſufficere, vt illam propoſitionem credat, ſicque ſtatim in Gregem Chriſtianorum poſſe recipi, præcipue cum exemplum Chriſti & Apoſtolorum id doceat, omnes illos ab ipſo Salvatore receptos fuiſſe, qui ipſum Meſſiam eſſe agnouerint, adeoque hodie etiam conuertendo ſufficere, ſi illam propoſitionem ſaltem teneat.

§. 15.

Neque exiſtimandum huic paradoxo Lockiano fauere Euangeliftam noſtrum, dicentem, *ex Deo eſſe ſpiritum omnem, qui Ieſum Chriſtum fateatur in carne veniſſe*; præterquam enim quod multa ſatis diſerte contineat eſſatum Apoſtolicum de perſona & naturis Ieſu Chriſti, quæ Canon Lockianus ita diſerte non continet; Euangelifta explicationem & extensionem huius Canonis ſecundum analogiam ſcripturarum neutiſquam cum Lockio prohibet, qui Chriſto nomen dari poſſe exiſtimat, licet quis, vt breues hic ſumus, ille qualisue ſit, ignoretur.

§. 16.

Cum vero duplici poſſimum falſo præſuppoſito laboret; altero, quod Articuli fundamentales demum ſint illi, qui ſermonibus Chriſti & Apoſtolorum ad homines conuertendos, ita inculcentur, ut neceſſitas eorum diſerte vrgeatur; altero, quod Epiſtolæ omnes Apoſtolorum, ad fideles ſint ſcriptæ, adeoque in fundamentis fidei non informandos, quodque adeo fundamentales articuli ex illis demonſtrari non poſſent, cum ſparſim tantum vnum comma vel alterum, inter plurima nobis hodie inutilia, ſit inſerſum, quod agat de Rebus ad fidem neceſſariis; merito ante omnia mireris virum illum, qui diuinam auctoritatem Epiſtolarum Apoſtolicarum hæcenus non impugnavit, illis tamen vim normæ denegare, ſecundum quam de fundamentalibus fidei iudicium feratur. Neque iuuat eum excipere: Chriſtum & Apoſtolos optimos Magiſtros modi conuertendorum hominum docere exemplo ſuo rectiſſime poſſe, quid ipſe requiſiuerit in conuertendis hominibus: id vero in Epiſtolis Apoſtolorum non æque repræſentari ac in Euangeliftarum monumentis actibusque Apoſtolicis. Sane enim ne-



que ex eo, quod ab iis, qui ad Christum conuersi, & in numerum discipulorum eius recepti fuerunt, fides dicitur requisita esse in Iesum, quod sit Christus, colligere licet, hoc vno articulo omnem fidem eorum absolutam fuisse. Cum Euangelistarum & Lucae in actibus Apost. scopus non fuerit, describere conuersiones infidelium quoad omnes partes fidei receptæ, verbaque & circumstantias omnes; sed potius vitam Christi & incrementa Ecclesiæ tempore Apostolorum delineare; exinde si quid de conuersione huius vel illius fuit addendum, non exsecuti sunt rem quoad omnia minutissima, sed quod præcipuum est, tantum retulerunt, quod illud esse quod Iesus sit Christus, quippe quo de fundamento reali contineatur doctrina, quis dubitet? Ideoque probare deberet ante omnia Lockius, nos in Evangelii & Apostolorum actis, omnia Christi & Apostolorum verba, quæ in conuertendis hominibus adhibuerunt, integra habere, si euincere vellet, nil amplius Christum & Apostolos requisuisse a conuertendis, quam vt credant, Iesum esse Messiam. Deinde illud etiam gratis asseritur, ex Epistolis ad fideles scriptis de fundamentalibus fidei iudicium ferri non posse; quippe quæ ad illos sint scriptæ, qui fidem amplexi jam fuissent, & quibus fundamentalia proinde præscribenda haud fuerint. Quasi vero tales etiam in fundamentalibus confirmari non possent, quasi in eorum gratiam hæretici, fundamentalia subruentes redargui non valerent & confutari; quasi denique fundamentalia illa varie in vsu eorum conuertere non liceret: quod vbique in Epistolis Apostolorum præstitum animaduertimus.

§. 17.

Taceo cetera Lockii inepta figmenta, quibus sententiam suam partim superstruit, partim firmat. Vt pateat vero, eam solam propositionem: *Iesus est Christus*, prout iacet, non sufficere probationi Spirituum, sine accedente debita explicatione, obseruare liceat, ipsum fundamentum salutis reale, quod *Iesum Messiam* agnoscit Lockius, apprehendi & retineri non posse sine aliorum plurium cognitione. Eorum igitur omnium, sine quorum cognitione hoc fundamentum teneri non potest, fides, pro necessa-

ria

ria erit habenda. Sic bene Augustinus: *Qui non credit DEI filium in carne venisse, alium pro alio dicit, verum non dicit, adeoque ignorat & negat IESUM in carne venisse, vel Christum esse.* Sic Galatæ p. 401. Ed. Ser. 31. de verbis Apost. Bas.
 licet Christum ore profiterentur, cum Articulum tamen de Iustificatione ex fide sola, ad Christum tanquam fundamentum proxime spectantem, per opera iustificationem quærendo euerterent; Paulus ipsos Articulum de Christo evertisse arguit; Si circumcidamini, Christus vobis nil prodest. Quod Exemplum tuto contra Lockium allegari posse puto, licet ille fundamentales Articulos ex Epistolis probari non admittat. Nam cum Fidelem omnia in Scripturis reuelata credere debere, licet non ad Salutem necessaria, concedat Lockius, Paulo hoc etiam in loco credet, asserenti, Articulo de Iustificatione subruto, Articulum de Christo sua sponte ruere; ex quibus infero, dari ergo alios Articulos, sine quibus articulus de IESU Messia subsistere non possit, adeoque non sufficere credere illum solum & vnicum Articulum: IESUM esse Messiam.

T A N T V M.





EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890
ULB Sachsen-Anhalt
Ausgaben
Datum: 2008



Sb.


D.

Reh. ✓

Juli

41





DISSER
PROBAT

RECENT

GOTTF

AD D. XX
IN AVD

AVT
GOTT

LIP

A
VVM,

M

RIO

XI
INO

NN

